



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

IX. Nouae opinionis Lutheranorum, q[uod] dicunt, In consecratis particulis
Eucharistiae, quae reseruantur pro Infirmis, non remanere Corpus Domini,
Reprobatio per Io. Cochl[a]eum. Scripta Misnae, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

MISCELLANEO.
RVM LIBRI TERTII
Tractatus Nonus.

NOVAE OPINIONIS LV.

theranorum, quod dicunt. In hostijs (ut uocant) seu
particulis consecratis, post usum communionis
remanentibus, non remaneat Corpus Do-
mini, Reprobatio per Ioan.
Cochlæum.

QVOD IN PANE ET VINO CONSE-
cratis uere & substantialiter maneat Corpus & san-
guis Christi quã diu integræ & saluæ permanent
species panis & uini, probatur auto-
ritate & ratione.

AUTORITATE SCRIPTURAE ET
sanctorum Patrum & Ecclesiæ Catholicæ.



Atth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ait ipse Domi-
nus. Hoc est corpus meum, hic est sanguis
meus noui testamēti. Consistit igit̃ ueritas
& perfectio huius sacramenti in ipsa conse-
cratione, siue usus sumendi assit siue non
assit. Quamprimum enim intentione
consecrandi proferūt̃ur à consecrante ista uerba, uere & sub-
stantialit̃r p̃ficiūt̃ hoc sacramentū, et uere ac substantialit̃r as-
sunt corpus & sanguis Christi, quia uerba illa sunt ipsemet
Yy 2 uerita

ueritatis, quæ mentiri aut falsum dicere non potest, Iohan.
 14. Ego sum uia ueritas & uita. Assunt autem non motu
 locali, nec generatione, nec creatione, sed substantiali trans-
 mutatione seu conuersione substantiæ panis in substantiã
 corporis Christi, & substantiæ uini in substantiã sanguinis,
 Corpus enim Christi neq; generatur neq; creatur de nouo,
 nec etiam mouetur de loco cœli ubi sedet ad dextram patris,
 sed idem numero est in cœlo & in altari, licet diuerso modo.
 Quippe in cœlo uisibiliter ac localiter, In altari autem inuisi-
 bilitate & sacramentaliter, Et incipiunt ibi esse substantiali-
 ter corpus & sanguis Christi, uirtute uerborum Christi, quia
 ipse dixit & facta sunt Psalm. 32. & 148. Cum igitur non
 proferantur alia uerba, quorum uirtute ibi esse definant, nec
 cessarium est dicere ac firmiter credere, manere ibi corpus &
 sanguinem Christi, quousq; manent species panis & uini,
 quibus uirtute uerborum Christi semel assunt, siue usus aut
 sumptio assit siue desit, Verba enim Christi non transeunt,
 sicut trãsit usus aut sumptio. Nec ab usu aut sumptione, sed
 à consecratione ueritatem habet & substantiam suam hoc
 sacramentũ, Non enim ab usu, sed ab eo quod res est, Ora-
 tio uera dicitur. Hæc autem Oratio, Hoc est corpus meũ,
 est oratio Christi, ergo est uera, quia est ipse ueritatis.
 Si est uera, ergo adest & manet ibi corpus Christi, mox facta
 uerborum prolatione, antequam sequatur usus aut sum-
 ptio. Est igitur ibi uere corpus Christi per uerba Christi, si-
 ne usu & sumptione, Est enim ibi antequam usus subsequa-
 tur, Non igitur ab usu habet, quod ibi sit aut maneat, quia
 uere ibi est antequã usus accedat. Non est igitur usus de sub-
 stantia & perfectione eius, quia sine eo per consecrationem
 consequitur substantiam & perfectionem realẽ. Si ergo sine
 eo est, ergo & sine eo manere potest. Ab eodem enim
 habet

habet eſſe & manere, Quid enim aliud eſt manere quàm ibi aliquandiu eſſe? Eſt autem ibi ante uſum, ergo & manet ibi ante uſum, Non eſt igitur uſus de ſubſtantia eius, igitur ſine eo poteſt ſubſiſtere, quia eſt uera ſubſtantia quæ per ſe exiſtit. Quod ſi ante uſum aut ſumptionem non eſſet aut maneret ibi uere & ſubſtantialiter corpus Chriſti, falſa eſſent uerba Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum, quod eſt impoſſibile, quia ueritas ipſa mentiri non poteſt. Et cõſecrans non deberet dicere, Hoc eſt, ſed Hoc erit corpus Chriſti, utpote quando ſumetur ab aliquo. Neque deberent, uerba conſecrationis à conſecrante proferri, niſi quando ſpeciem panis in os mitteret ſumentis, quia ante uſum ſumentis non poſſet uere dici, hoc eſt corpus meum, ſi uſus eſſet de ſubſtantia eius.

Quicumq; igitur aſſerit, poſt conſecrationem non manere ibi ſubſtantialiter corpus Chriſti, abſq; uſu aut ſumptiõẽ, iſ multa incurrit abſurda & impia. Primo falſificat uerba ueritatis & Dei omnipotentis, iſta ſcilicet, Hoc eſt corpus meum, quia contrarium aſtruit, nempe, quod hoc non ſit corpus Chriſti. Secundo. Extollit ſe ſupra Deum uelut Antichriſtus 2. Theſſ. 2. Quid ita? quia quod Deus aſtruit, dicens, hoc eſt corpus meum, Id ipſe negat, dicens, hoc non eſt amplius corpus Chriſti. Tertio, Virtutem ſuæ opinioniſ maiorem facit uirtute uerborum Chriſti Dei omnipotentis, Conſtat enim uirtute uerborum Chriſti uere dici, Hoc eſt corpus meum, Hanc autem uerborum Chriſti uirtutem nititur ille deſtruere, non ullis quidem uerbis Dei aut ſcripturæ, ſed ſuæ tantum opinioniſ aſſertione nuda, & nullis ſcripturis aut rationibus firmata. Quarto. Conſecrando, mutat uerba ueritatis in mendacium, Dicens enim hoc eſt corpus meum, mentitur ſibi ipſi, credens, qd non eſt, ſed erit

corpus Christi, nempe tunc quando mittetur in os sumētis. Quinto porrigit fidelibus merum panem pro corpore Christi, Nam ante usum ait non esse ibi corpus Christi, In usu autem non profert uerba Christi per quę consecratio fit, Ergo nihil porrigit nisi panem, ex pane enim non fit corpus Christi sine uerbis consecrationis, Sexto peruertit ordinem ueritatis, Nam quod uerbis consecrationis tribuere deberet, tribuit usui sumentis, Non enim per usum fit presens corpus Christi, ut ipse putat, sed per uerba consecrationis, quę ante usum sunt prolata. Ipse igitur peruerse tribuit posteriori quod priori tribuendum est.

Quod si quis dicat, In alijs sacramentis ita esse, ut in ipso usu perficiatur substantia sacramenti, sicut est uidere in baptismo, cōfirmatione &c. Non enim perfectum est baptisma, nisi quando aquę applicatur baptizandus & dicitur ei, Ego te baptizo in no. pa. et fi. etc. Huic respōdetur q̄ in hoc ipso differt Eucharistię sacramentum ab alijs, q̄ aliorum perfectio in applicatione seu usu, hoc autē in consecratione panis & uini perficit. Ideo & in alijs suo noie agit minister, ut ego te baptizo, ego te linio & confirmo &c. In Eucharistia autem, non suis sed Christi utitur uerbis, At uerba Christi efficacissima sunt, longe magis quā ministri, Imo non est equa p̄ omnia similitudo. Perfectio igitur & substātię Eucharistię sacramenti, non ex usu, sed ex uirtute uerborum Christi, expendenda est.

AVTORITATE SANCTORVM
Patrum & antiquorum.

Antiquissimus Apostolorum discipulus S. Dionysius in lib. de Eccle. hierat. c. 3. ait sic. At uero Pontifex, cū diuina mnuera laude p̄secutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conticit, & quę ante laudauerat, uenerandis opero

dis operta atq; abdita signis, in conspectum agit, diuinaque munera reuerent ostendens, ad sacrā illorū cōmunionē et ipse cōuertit, & reliquos ut cōmunicēt hortatur. Ex his cōstat, hęc sacramenta celestia p̄ consecrationis uerba prius cōfici, & populo reuerenter ostēdi, anteq̄ sequatur usus sumendi.

Irenęus auditor Polycarpi, qui S. Ioannes Euang. discipu II, lus fuit, ait lib. 4. c. 32, Noui test. nouam docuit oblationem quā Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, De qua latius infra, c. 34. differit. Constat autē oblationem p̄cedere usum seu sumptionem, prius enim sacerdos deo offert quā de oblatione ipse cum alijs participat Leui. 6. Non offert autem panem et uinum simpliciter, sed in corpus & sang. Christi transmutata. Ait, n. Irenęus. Jam non cōmunis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & celestis. Est igitur ibi uere corpus Christi per consecrationem, quod et offertur Deo añquā subsequatur usus communicandi. Ergo non ex usu, sed ex consecratione per uerba Christi substantialiter adest corpus Christi, si autē uere adest, q̄s adesse prohibet, nisi mox sequatur usus, Cū non ab usu sed à consecratione habeat esse.

Tertull. Apher, uetustissimus inter latinis autor, lib. 2. ad III. uxorē suā sic ait. Non sciet maritus, q̄d secreto ante oēm cibum gustes, Et si sciuerit panē, nō illū credit esse qui dicitur Et i lib. de corona militis sic ait. Eucharistię sacr̄m, & in tempore uictus, et oībus mandatū à domino, etiā ante lucanis cētibus, nec de aliorū manu q̄ presidētū sumimus. Ecce uxor Christiana domi secreto ante oēm cibū gustauit panē, quē Eucharistiā dicimus, mansit ergo ibi corpus dñi multo tēpore, anteq̄ sumeret. Et i cētibus antelucanis sumebat à sacerdote, qui prius cōfecerat puerba cōsecrationis, & obtulerat in missa Deo, anteq̄ porrigeret sumentibus. Nō igitur ab usu, sed à consecratione esse habet Eucharistia. Orię

- III. Origenes in Matth. Homel. 35. sic ait. Panis iste, quem deus uerbum, corpus suum esse fatetur, uerbum est nutritorium animarum, uerbum de deo uerbo procedens, & panis de pane celesti, qui positus est super mensam, De qua scriptum est, Præparasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Ecce & Origenes testatur, panem istum esse corpus Christi & positum esse super mensam, Nō ergo usu, sed consecratione talis est, quia ante usum super mensam ponitur.
- V. Cyprianus in ser. de lapsis, sic habet. Et cum quædam mulier arcam suam, in qua domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Hinc manifeste constat, sanctum domini, id ē Eucharistiā, eo tēpore etiam domi priuatim in arca retentum fuisse, Tantum abest, ut absque usu esse aut manere ad tempus non possit. Semel enim uerbo dei factum, manet semper quāmdiu manet species panis qui in illud consecratione sacerdotis conuersus est.
- VI. Nec ex usu dependit, quia per se substantia est & p se subsistit. Ambrosius in lib. de excessu fratris, c. 7. sic ait. In naufragio constitutus, non mortē metuens, sed ne uacuis mysterij exiret ē uita, Quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum poposcit, Non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo atq; ita se deiecit in mare, fidei solius arma querens, Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Deniq; primus seruatus ex undis, & in portum terrenæ stationis euectus, præfulem suum, cui se crediderat recognouit. Nam qui tantum mysterij celestis inuoluti in orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris

storis hauriret arcano; Quam maius putabat fufum in uiscera, quod tantum sibi tectū orario profuisset. Quid obsecro apertius hoc San. Ambrosij testimonio afferri aut dici queat: Ecce ab initiatis seruabat sanctum domini in nauis, & à Satyro fratre S. Ambrosij recipiebatur non in os, sed in collo tectum & inuolutum orario, & eius præsidio primus è mari saluatus euasit, Quis ergo negare queat, uerum ibi fuisse corpus domini, quod tantæ fuit uirtutis: & tamen sine usu & sumptione ibi erat. Ergo falsum est, illud sine usu non esse aut remanere. Multo quidem plura sunt S. Ambrosij testimonia, de hoc sacramento in lib. de initiandis mysterijs c. 9. & Lib. 4. c. 4. de sacramentis, sed ea breuitatis causa hic omittuntur.

Pius Papa. I. qui præfedit circa annū domini. 153. Sic ait, Si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram, lingua lambetur, tabula radetur, & sacerdos 40. diebus pœniteat. Ecce quam aperte dicit antiquus iste pontifex, si aliquid de sanguine stillauerit in terram, Qua igitur fronte neget aliquis nunc, extra usum non esse ibi sanguinem, sed effundī merum uinum dicat? Qm̄ per consecrationem uinum transiit in sanguinem, ut ait Ambro.

VII.
De cōsecra.
dist. 2. c. si p
negligentiā.

Paulinus in uita S. Ambro. & Eusebius quidam in uita S. Hieronymi attestantur hos sanctos in exitu suo corpus domini sibi allatum sumpsisse, Et Eusebius in Histo. Eccle. refert quendam non potuisse mori, donec afferretur ei in canistro iunceo corpus domini missum à sacerdote. Semper igitur licitum fuit, corpus domini reseruare in uaticum, pro infirmis, Qua de re apertus extat Canon antiquus Concilij Guarmaciensis. In hæc uerba, Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quādo quis infirmatus fuerit statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

VIII.
De cōsecra
dist. 2. c. pres
byter.

Zz

Symma

IX.

Ex lib. Pontificali.

Symmachus Papa, ante mille annos, fecit Romæ in Basilica Syluestri & Martini super altare Ciborium argenteum quod pensabat libras CXX. Similiter et in Basilica S. Andree apud beatum Petrum fecit Ciborium ex argento & confessionem, pensantem libras CXX. At nemo ignorat, Ciboria fieri, ut in ijs reseruetur uenerabile sacramentum.

X.

De consecra. dist. 2. c. Qui bene non.

Denique in Concilio Arelatensi sic statutum legitur. Qui bene non custodierat sacrificium, & mus uel aliud aliquod animal illud comederit LX. diebus poeniteat. Qui autem perdidit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit XXX. dies poeniteat. Ex hoc quoque Canone liquidissime constat, Eucharistiam extra usum communicationis manere & reseruari posse, licet propter usum communicandi reseruetur. Nam tum statim desinit ibi esse, si non assit mox usus.

Infinite profecto extant historiae, & exempla apud Bedam, Anselmum, Lanfrancum, Alexandrum de Ales, Albertum, Thomam, Antoninum, Vincentium, &c. de uarijs miraculis, quæ circa corpus Domini in Ecclesijs reseruatum contigerunt, Vt impudentissimum sit, omnia negare, & dicere, ibi non esse corpus Domini, sed panem tantum, Cum constet ex Sancto Ambrosio, per consecrationis uerba panis substantiam transmutatam & conuersam esse in corpus Christi, quod uana et erronea opinio nequaquam destruere aut corumpere aut ex speciebus panis depellere potest, quum sit ibi uirtute uerborum Christi, quæ longe ualentior est, quam ut cedat impiæ opinionis figmento humano.

RESPONSIO AD OBIECTVM.

IN Epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini sic habetur, Certe tanta in altario holocausta offerant, quanto
ta pos

in populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non referuentur, sed cum timore & tremore clericorum & diligentia consumantur. Ex his patet, quod referuari hostiæ consecratæ non debeant in crastinum, sed consumi à Clericis. Responsio. Eo tempore non erat necessarium, hostias referuare p infirmis, sicut nunc est. Quia tunc quotidie communicabant omnes, ut patet ex decimo Canone Apostolorum. Deinde non negat Clemens in referuatis aut relictis post populi communionem particulis esse uerum corpus Christi, uti negat noua opinio, sed contrarium plane in eadem affirmat epistola. Sic enim ait. Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, cõsumunt, nõ statim ad cõmunes accipiendos cibos cõueniãt, ne putet sanctæ porcioni commiscere cibũ, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Quinetiam referuari & custodiri permissit in eadem epistola. Sic enim ait, Tribus gradibus cõmissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, id est, presbytero, Diacono & ministro, Qui cum timore & tremore Clericorum, reliquias corporis dominici debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inueniatur. Ut cum negligenter agitur, porcioni corporis dominici grauis inferatur iniuria. Ex his igitur constat, semper licitum & consuetum fuisse in Christi ecclesia, referuare & custodire in sacrario aut ciborio particulas consecratas, quas hic Clemens reliquias & porciones corporis dominici uocat. Quamuis cautelæ gratia scripserit, eas reliquias à Clericis consumi debere, Quia tunc minus necessarium erat, quam modo referuare in crastinum, quãdo omnes fideles quotidie communicabant.

Si dicatur, Eucharistiā consecrari in cibum & potū animæ, non ad referuandum, facilis est responsio, quod etiam referuatæ hostiæ consecratæ in cibum & ad usum sumendi referuantur, & in hoc nihil sit contra ullā scripturam. Neq̄ poterit ex ulla scriptura probari, corpus domini desinere ibi esse, nisi statim sumatur, Falsa igitur & impia prorsus est ista noua opinio.

Error nouæ opinionis inde uenit, quod nesciunt isti homines differentiā inter Eucharistiā & alia sacramenta, Que sane duplex est (ut supra quoq̄ dictū est) una in hoc, quod aliorū sacramentorū perfectio consistit in usu & applicatione materiæ nō in cōsecatiōe materiæ, sicut Eucharistia, Baptismus enim nō est p̄fectus, q̄n benedic̄tiō fons, nec confirmatio, q̄n cōsecratur Chrisma, sed q̄n aqua et Chrisma applicatur in usum eū debita uerborū forma. At Eucharistia mox est perfecta, quando uerba consecrationis super materiam proferuntur à sacerdote. Altera differentia est in hoc, quia circa alia sacramenta utitur sacerdos uerbis suis, ut Ego te baptizo, Ego te linio, &c. In Eucharistia autem utitur nō suis sed Christi uerbis, uti docet S. Amb. de sacramētis li. 4. c. 4.

Magna est igit̄ temeritas impudentiæq̄ & impietas Lutheranorum, qui contra fidem totius Ecclesiæ ac tot retro seculorum, audent absq̄ omni scripturæ autoritate, affirmare quod in residuis particulis consecratis, quæ remanent post cōmunionē in altari, et cōseruantur in ciborijs pro infirmis aut reponuntur ac circumferuntur in Monstrantijs, non sit amplius ibi substantialiter corpus domini, licet ibi fuerit antea per uerba consecrationis. Hoc autem nouum impietatis figmentum confutari potest per subsequentes quoq̄ breuiusculas rationes.

Ratio

RATIONES XX. CONTRA
nouam Lutheranorum opinionē de Eucharistia.

Vera sunt uerba Christi, Hoc est corpus meum, At hæc I.
semel super residuas partes prolata sunt, ergo uere
de eis dicuntur, scriptum est enim, Cælum & terra transibunt
uerba autem mea non transibunt. Matth. 24. Luc. 21.

Scriptum est Nu. 22. Si dederit mihi Balac plenā do- II.
mum suam argenti & auri, non potero immutare uerbum
Domini Dei mei, At hoc est uerbum domini, semel prolata
tum super panem, hoc est corpus meum. Quis igitur potes-
rit hoc immutare?

Nu. 23. Non est Deus quasi homo ut mentiatur, Nec III.
ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo & non faciet: lo-
cutus est & non implebit: At dixit, hoc est corpus meum,
hic est sanguis meus, Ergo non mentitur nec in uerbo suo
mutatur, Mutaretur autē, si contradictorium (nempe, hoc
non est corpus meum) fieret uerum.

Exo. 4. Pone uerba mea in ore eius, et ego ero in ore tuo, II II.
& in ore illius. Hanc sententiam uerissime dicere possumus
de sacerdote consecrante, Quia non suis sed Christi uerbis
conficit, Cum igitur dicat, hoc est co. m. Et non sit Deus si-
cut homo ut mentiatur aut mutetur, Non est credibile, qd
hæc uerba Christi fiant falsa, aut mutantur, ex hoc qd non
statim post eorum prolationem sequitur usus aut iumptio
sacramenti. Nusq; enim scriptum est ita, Hoc est corpus
meum, si mox in os sumatur, Desinit autē esse corpus meū,
si non statim sumatur, Temere igitur hoc à nouis sectis as-
seritur.

i. Reg. 3. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum V.

eo, & non cecidit ex omnibus uerbis eius in terram. Si nihil uerborum Samuelis cecidit in terram, quanto minus hæc sacratissima uerba Christi, hoc est corpus meum in terram cadent? Caderent autem in terram, si ullo pacto fierent falsa, aut contingeret ea in cassum & frustra esse prolata, Quod utiq; fieret, si desineret ibi esse corpus Christi, antequam sumeretur hostia.

- VI. Gen. 24. Dixerunt Laban et Bathuel, A domino egressus est sermo, Non possimus extra placitū eius quicq; aliud loq̄ tecū. Sic et iste sermo. Hoc est corpus meū, à dño egressus est. Nemo igitur extra placitum eius quicq; aliud loq̄ debet aut uere potest. Aliud autē loquit, qui ait, Nō est ibi ampli⁹ corpus Christi, si cesset usus aut sūptio, et non statim sumat.
- VII. Deut. 1. Increduli ad sermonem Dei murmurastis in tabernaculis uestris. At iste est sermo Dei, super panem prolatus, hoc est corpus m. Ergo incredulus est & murmurator, qui negat ibi esse corpus Christi, usu non statim sequente. Nusq; n. precipit, ut statim post prolationē sequat̄ sūptio.
- VIII. 3. Reg. 17. Ait mulier ad Heliam, Vir dei es tu, & uerbū domini in ore tuo uerum est. Sic & in ore sacerdotis consecrantis uerbum domini uerum est, Hoc est corpus m. Ergo manet uerum. Non enim prædicatur ibi accidens de subiecto quod præter subiecti corruptionem adesse & abesse contingat, sicut quando dicitur, homo est albus, sed est ibi prædicatio substantialis & identica, Corpus enim Christi non est accidens, sed substantia.

IX. Psal. 32. Quia rectū est uerbū dñi, & omnia opa eius in fide. At in cōsecratione Eucharistiæ uere est uerbū dñi, & opus cōsecrationis non hoīs sed dei est, ut ait Ambro. Ergo uerbum illud est rectum et opus illud in fide. Ait n. S. Aug. Quid est, Rectus est sermo dñi? Non te fallit, tu eū noli fallere,

lere, imo tu tenoli fallere. Quis. n. faller oia scientem? Sed mentita est iniquitas sibi, qm̄ rectus est sermo dñi, Quā aut̄ re-ctus esset hic sermo & hoc uerbum dñi, Hoc est corpus m., si contradictoriū eius (hoc non est corpus m.) esset uerum et rectum? Aut quō hoc opus in Eucharistiæ cōsecratione esset in fide, in ueritate, si non permaneret rectum & uerum.

2. Tīm. 2. Deus fidelis pmanet, negare semetipsū nō potest. At ipse dicit in ore sacerdotis, hoc est corpus m. Quō igitur fidelis pmanet, si nō manet uerū qd̄ ipse dixit? Si aut̄ uerū manet uerbum eius, falsum utiq; & impiū est, dicere, qd̄ non maneat ibi corpus Christi, quod ipse conficiendo dicit & dicendo conficit, Quisquis igitur id negauerit, & Deus negabit eum, si non credit, ut ait ibidem Apostolus.

Psal. 116. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & ueritas dñi manet in æternū, Quō autem confirmata manet ei⁹ misericordia sup nos, si ex Eucharistia semel consecrata corpus dñi euanescit? Quod. n. euanescit, nō est firmum aut confirmatū. Si ergo ueritas dñi in Eucharistia est, utiq; manet in æternum, & non poterit falsitas ibi habere locum, quia ueritas domini manet in æternum.

Psal. 118. In æternū dñe pmanet uerbū tuū i celo, In generatione et generatione ueritas tua, fūdasti terrā et permanet. At hoc uerbū Dñi dat nobis panem de celo uerū Ioh. 6. Veritas igitur eius permanet, & non euanescit cessante usu, Non. n. ab usu dependet substantiæ ueritas, Potest. p. substantia esse sine usu, sed non e contra, Usus. n. accidens est & per se subsistere non potest, sicut potest substantia, fundauit itaq; dominus terram, corpus suum in Eucharistia, ut pmaneat, non ut transeat aut euanescat, ad libitum hominis aut ad falsæ opinionis phantasiā.

Tobie, quarto. Audi fili mi uerba oris mei, & ea in corde

corde tuo quasi fundamentum construe. Hæc in figura Christi dicta sunt. Verba sane consecrationis sunt uerba oris eius, Ergo sunt in cordibus nostris per fidem construenda aut statuenda quasi fundamentum, & non quasi euanida superficies, fundamentum autem stabile est & non euanescit, Cum igitur per uerba consecrationis corpus Christi ex substantia panis conficiatur, eis firmiter ut fundamento ad hærendum ac innitendum est indubitata fide, ac minime credendum aut opinandum, ne suspicandum quidem aut uel leuiter cogitandum, quod propter usum cessantē cesset mox etiam ipsius rei ueritas & substantia,

XIII. Psalm. 144. Fidelis dominus in omnibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. In Eucharistia autem est & uerbum & opus domini, non hominis, Ergo in eis fidelis est et sanctus. At si non permaneret ibi corpus domini usu cessante, nec fidelis esset Deus in uerbis consecrationis, nec sanctus in opere confectionis, Quia nec uerbis inesset ueritas, nec operi firmitas, sancire enim firmare est.

XV. Prouer. 30. Omnis sermo dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se. Ne addas quicquid uerbis illius, ne inueniaris mendax, Mendax est igitur quicumque his uerbis Dei, Hoc est corpus meum, addit alia uerba, ex suo pectore conficta, Qualia sunt, Tunc primum quando sumitur, Item, quousque durat sumptio, Item, quando in ora fidelium mittitur, Item antequam sumendi cesset usus. Non autem postquam cessat usus. Nihil enim horum uerborum in uerbis dei reperitur, mendax igitur inuenitur, qui talia ex se coniungit & uerbis dei addit.

XVI. Ecclesi. 12. Verba sapientum, sicut stimuli, & quasi clauis in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno, his amplius filii mi ne requiras. Quisquis

quisigitur uerbis consecrationis amplius addit aut requirit, contrarius est ueritati, & uerba Dei habet, non quasi clauos in altum defixos, sed uelut arundinē aut stipulam quolibet uento falsæ imaginationis agitatam. Ait itaq; super hæc uerba S. Hieronymi, Exceptis his uerbis quæ ab uno pastore sunt data, & à Concilio atq; consensu prolata sapientum nihil facias, nihil tibi indices, maiorum sequere uestigia, ab eorum autoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem.

Ecclesiast. 2. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles uerbo illius, & qui diligunt illum, conseruabunt uerbum illius. Hinc ergo sequitur, quod neq; timent neq; diligunt Deum ij, qui negant in consecrata hostia extra usum sumptionis esse corpus Christi, Quia neq; credunt neq; conseruant uerbum domini quod in consecratione prolatū est, sed contradictorium eius temere sine omni scriptura & ratione contra clara sanctorum patrum testimonia asserunt.

Esaïæ quadragesimo. Cecidit flos, Verbum autem domini stabit in æternum, Et c. 55. Sic erit uerbum meum quod egredietur de ore meo. Nō reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud, Constat autem hoc esse uerbum domini. Hoc est corpus meum, Ergo stabit in æternum, & non reuertetur uacuum, Caderet autem & uacuum fieret, si corpus domini esse cessaret quod uirtute consecrationis semel fuit.

Hieremiæ sexto. Ecce uerbum domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. Et infra, Argentum reprobum uocate eos, quia dominus proiecit illos, Hæc Prophetæ quærela & sententia eos utiq; perstringit ac percellit.

Aaa qui

qui uerbum consecrationis non suscipiunt nisi ad modicum tempus quod usui aut sumptioni impenditur, sed trahunt illud in opprobrium & ludibrium populi, dum consecratam hostiam in capsulis aut monstrarijs repositam pro Idolo habent & abominantur, & consecratum uinum uelut aquam effundunt in terram aut retro post altare. Ergo facti sunt argentum reprobum, quod in scoriam uersum est, & uinum eorum mixtum est aqua, ut alius ait propheta.

Esa. i.

XX. Secundo Corinthiorum sexto, In omnibus exhibeamus nos met ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia &c. in uerbo ueritatis, in uirtute Dei. At nusquam exhibent se manifestius sacerdotes Dei ministros quam in altari, quando uerbo ueritatis & uirtute Dei (non sua) Eucharistiam conficiunt. Non euanescit igitur illud uerbum et ea uirtus mox quando cessat hominum usus in sumendo. Est enim uirtus infinita, & dominus ipse ait, Verba mea non transibunt.

Scripta sunt hæc Misnæ, mense Iunio, Anno

1539.

MISCELL